



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCCLI. ad annum CCCCLXXV.

**Parisiis, 1644**

LX. Epistola Episcoporvm Cretæ, Ad Leonem Imperatorem. Piissimo imperatori, & Christo amabili domino, Augusto Leoni, Martyrius humilis episcopus vestræ Gortynæ.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14887**

ANNO  
CHRISTI  
451

permittunt. Non patiaris horum scelerum cumulum fieri posteris in exemplum: habeant loca sancta proprium cultum, ecclesie inuiolabile securitatis ius, pontificisque cauetela baptisteria purgentur a nece. Dele iam, venerabilis imperator, impietatis monumenta: doceantur omnes pietatis exercere culturam.

Lucas episcopus Dyrrachenus. Incolumem semper in omnibus modis pium vestrae serenitatis principatum multis in pace temporibus Dominus Christus conseruare dignetur, Deo amabilis, victor & triumphator Auguste.

Artemius episcopus Escampenus, similiter.

Antonius episcopus Lychnidii, similiter.

Philocharis episcopus Vallidi, similiter.

Eusebius episcopus Apolloniadis, similiter.

Nazarius episcopus Aulonæ, similiter.

Paulus episcopus Prinatenus, similiter.

LX.

EPISTOLA

EPISCOPORVM CRETÆ,

AD LEONEM IMPERATOREM.

*Piissimo imperatori, & Christo amabili domino, Augusto Leoni,  
Martyrius humilis episcopus vestrae Gortynæ.*

TEMPVS nobis est lyram sumere diuinitus inspirati psalmistæ Dauid, principatu tranquillitatis vestrae. Ille namque solus idoneus est hymnus piæ vestrae magnitudini proferri, in quo ait: *Saluum fac Domine regem, & exaudi nos.* Et iterum in aliis modulationibus dicit: *Domine in virtute tua letabitur rex, & in salutari tuo exultabit vehementer;* & reliqua quæ in ipso psalmo sunt, pro vestrae potentiae ordinatione dicta creduntur. Sciens enim ex illo tempore gestorum talia prophetarum, quia per quæ confirmatis ea quæ Dei sunt, per ea quoque vestrum roboratis imperium. De his autem quæ nos vestra fanciuit pietas iudicare, ego & mei confacerdotes recte consistentes insinuauimus, quia sanctum Calchedonense Concilium concordare credimus expositioni fidei trecentorum decem & octo patrum in Nicæa vrbe congregatorum, in qua baptizati & baptizantes, & prolatum exinde omnibus

Locus mutilus.



symbolum intemeratū inuiolatūque seruantes, vitam in eo complere reliquam: & his quæ postea definita sunt a sanctis centum quinquaginta sacerdotibus in ciuitate regia Constantinopoli congregatis: nec non & his quæ in Ephesina Synodo priori, quæ Nestorii diabolicas blasphemias abscidit, & vesaniam Eutychis vna destruxit, & quæcumque inter hæc orta est hæretica blasphemiam. Et dicimus tranquillitati vestræ, quia ab initio totius hæreticæ blasphemiam in experta est vestra Creta, decem martyribus prouincialibus passionis tempore deprecantibus saluatorem Deum, vt libera a tentationibus hæreticis, semper ab actu eorum prouincia seruarietur. Et secundum magniloquum apostolum Paulum scribentem fugiendas quæstiones legales, quæ lites noscuntur sæpe generare. De his enim quæ in sanctæ memoriæ Proterium gesta sunt, non est qui non grauiter & absque humana natura hæc facta decernat. Vestræ vero pietatis est, cuius anima, secundum scripturam diuinam, in manu diuina consistit, secundum propriam clementiam ea quæ sunt commissa corrigere. Timotheus vero, si viduata sanctissima ecclesia episcopus ordinatus est, decreto ciuium vniuersorum & religiosissimorum episcoporum vniuersæ prouinciæ, aut omnium, aut plurimorum conuenientium vna, & reliquis aut propter senectutem, aut propter ægritudinem, aut quamcumque necessariam causam absentibus, a tribus tamen vt parum episcopis inculpabilibus & communicatoribus regulariter ordinatus atque constitutus est, firmitatem eum sedis habere decernimus. Si vero aliquid horum defuit, necesse est ordinationem pariter diiudicare.

1. Tim. 2.

Prot. 21.

Martyrius episcopus Gortynæ. Incolumem vestram potestatem, tuentem pacem sanctarum Dei ecclesiarum, sancta & viuificatrix Trinitas omnitemporis vitæ conseruet, piissime & Christo amabilis imperator.

Cyrillus episcopus \* Subtuus, similiter.  
Euphronius episcopus Hierapinæ, similiter.  
Gennadius episcopus Gnosii, similiter.  
Prosdocius episcopus Lappæ, similiter.  
Euphrata episcopus Cherlonefi, similiter.  
\* Nicaeis episcopus Catamensis, similiter.  
Sebon episcopus Doniæ, similiter.